

commodiora quædam investiganti, occurrit aliud instrumentū, quod usus amplitudine, commoditate, & universalitate, cum aliis hujus generis certare forsan non erubescet. *Directorium universale* illud est, quod nunc cum mantissa hujus commentarioli Vestrarum Celsitudinum, Domini Clementissimi, patrocinium humilimè implorat, & subiectissimo animo iisdem C. C. C. C. vestris à me offertur. Causa, quæ me impulit, varia. Nam & novum est instrumentum, in Aula primum, & ex illa divulgari gestiens; & primitiæ sunt meorum studiorū, quas vestris C. C. C. C. loco qualis qualis gratitudinis à mea humilitate deberi, memoria Munificentia Electoralis, qua aliquot annis Lipsiæ sustentatus fui, suggerit. Insuper stimulavit me sitis patrocinii, tum meis studiis fovendis & promovendis, tum huic qualicumq; labori adversus malevolos & alieni operis injuriosos censors, necessarii.

Frontibus ergò serenis, Principes illu-

B 3

strissi-